

est? Exstinguitur enim vel in humido vel frigido calidum et siccum, qualis videtur in anthracibus ignis et flamma, quorum neutrum lumini videtur inesse. Si ergo inest quidem, sed quia quiete latet nos, oportebat interdum et aqua extinguere lumen et in frigoribus magnis maxime fieri tenebras, flamma ergo et ignita corpora patiuntur hoc, nunc autem nihil accidit tale.

Obiectio communis est contra Empedoclem et Platonem. Uterque dixerat visionem fieri igne, id est lumine ex oculis exeunte: lumine, cum aere tamquam *cognato*, συγγενεῖ commixto^{xxii}, visionem fieri. Empedocles uti ex carminibus mox ibi ab eo allatis laternae exemplum adduxerat uterque asseverat in tenebris oculos non cernere, causam attulerat Plato his verbis:⁷² *Abeunte vero in noctem cognato igne desecatur: ad dissimile enim exiens et alteratur ipsum et extinguitur, connatum non est vicino aeri factum, utpote ignem non habenti.*

An visio per radiorum emissionem ex oculis aut per specierum intromissionem in oculos fiat, magna quaestio est magnis multisque ingeniorum viribus utrimque a Peripateticis Platonicisque hisque faventibus medicis atque perspectivis diu agitata. Quam etiamsi ex hoc loco nata sit, non est tamen in praesentia animus discutere, quia nihil ad rem propositam pertineat.

Sed obiectionem ab Aristotele factam discutiamus. Negat ignem istum visivum, id est lumen tenebris extinguere, ignem enim, qui calidus et siccus sit, non nisi contrariis humido ac frigido extinguere. Contra metaphoram pugnare Aristoteles videtur: quando lumen ignis talis non sit, qualis is, qui calidus et siccus est.

Sane Timaeus Locrus libello De mundi anima tres ignis species facit: anthraca, flamma, lumen, eas Theophrastus quoque libro De igne amplectitur. Hippocrates libro primo De diaeta ca-

⁷² ἀπελθόντος δ' εἰς νύκτα τοῦ συγγενεῶς πυρὸς ἀποτέμνεται. πρὸς γὰρ ἀνόμοιον [corr. ex ὁμοιον] ἐξίον ἀλλοιοῦται τε αὐτὸ καὶ κατασβέννυται, συμφυὲς οὐκ ἐστὶ [οὐκ ἐστὶ] τῷ πλησίον ἀέρι γιγνόμενον, ἅτε πῦρ οὐκ ἔχοντι. [PLATO, Ti.45.d.3 – 6]

^{xxii} Corr. ex commixto